

antheras patet ex pollinis natura. Ubi anthera et pollen ibi necessarium est pistillum. Quæsivi multum. Reperi. Sed alio quam speravram modo. Verbo semina muscorum carent omnino cotyledonibus, carent adeoque tunica, adeoque corcula sunt seminum decorticata et in Dill. Musc. tab. 56, f. 1. litt. h. i. k. l. m. n. o. p. depinxit et florem femineum calyce tetraphyllo et semen foliosum s. decorticatum; idem patet in reliquis examinanti.

Vianelli observatio quæ nuper prodiit Venetiis, de aqua marina juxta navem phosphorisante pulchra est et nova; quis crediderat lucem hanc deberi vermiculis? Nunc evictum est.

Dalibardi floræ paris. prodromum videre avidissime gestio; cum vos potestis absque impensis literas mittere Parisiis ad alias terras (ut audio) annon velles singulâ vice mittere 6 phyliras sub couvert ad Societatem regiam Upsaliensem, tum haberem ea absque impensis, cum ipse effringo omnes societatis litteras. Si hoc poteris, quæso facias.

A D. Hasselquist ex Smyrnâ litteras habui jucundissimas; hisce diebus spero quod Hierosolymam pervenerit. Si sanus redierit ab eo multa mihi polliceor; fuit meus discipulus optimus.

Nullus apud nos supervixit tam mitem ac inertem hyemem quam hanc quæ discessit cum novo anno.

Quæso cures ut aliquis studiosorum botanicorum apud vos accurate observet quo die arbores sylvestres vestrates et sponte nascentes, quando et quo die veris s. mensis folia e gemmis promant,* et simul quo die hordeum scratur et quo die idem autumno maturum dissecatur, et ut hoc mecum communices pro tuâ amicitîâ rogo quæsoque.

cuidam sacci utriusque fariniferi minus intimæ similitudini solum attentum. At cum aliunde pro seminibus gemmas habeat, et quidem sæpius antheridia gerentes, sexus omnino in hac classe plantarum invertisse videtur.

* Quanti sit momenti phenomenorum naturæ quot annis periodice recurrentium tempus plus minus prope- rum scrumve sedulo notare, solitâ ingenii acie intellexerat Linnæus, observationes ipse domi instituerat, aliis aliarum regionum incolis commendabat. In Succîâ per quatuor annos perrectas promulgavit in *Dissertatione (Vernatio Arborum, 1753, et Amæn. Acad., Vol. III.)*, quem proposuit H. Barx magistri interpretis verbis sequentibus: "*Quartus jam agitur annus ex quo populares nostros in novellis literariis exhortatus est nob. D. præses, ut omni curâ et diligentîâ observarent, quo quilibet arbor tempore suas expandat gemmas foliaque explicet, non vanâ innixus divinatione futurum, ut ex pluribus hujusmodi, variis in locis, institutis observationibus, novum et fortasse non expectatum fructum nostra capiat patria.*" *Serius (1756) ingeniosum Floræ Calendarium (Amæn. Acad., Vol. IV.)* eadem mente confectum; et posthac ab aliis auctoribus editæ similes diversarum Florarum Ephemerides. Temporibus nostris studia de his generalius a Linnæo inchoata renovavit et extendit cl. astronomus Belgicus Quetelet, qui, expositâ ratione quâ colligi debeant observationes e pluribus et dissitis locis, sed uniformes et iisdem speciebus applicatæ (*Instruction pour l'Observation des*